



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 212. Quid circa inversionem ordinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

quis hodie incepisset crastinum matutinum, putant *Tamb. Gob. & Stoz* posse sine culpa mortali in qualibet ejus parte cessare, & sine causa reliqua differre in crastinum; hoc tamen non facile practicarem.

1307

§. IV. Causæ justæ interrumpendi sunt, si charitas, imò & affabilitas seu humanitas sit alteri exhibenda; si negotium aliquod superveniat, quod incommodè differetur; si velis tollere distractionem, aut notare, quod te reddit sollicitum, ne obliviscaris &c. Notat tamen rectè *Gob.* n. 848. cavendum esse, ne quis assuescat obsequi ejusmodi importunis sollicitationibus, & sic continuò interrumpat, est enim quædam irreverentia: Nullum autem videtur esse peccatum inter Horas privatim aliquam oratiunculam aut aliquod pium suspirium intermiscere, *Bonart.* c. 24. n. 15. *Gob.* n. 696.; Si tamen pars notabilis adderetur officio, secundùm *Castrop.* esset veniale, utpote contra præscriptam formam; & si faceret cum voluntate inducendi alium ritum, rectè dicit peccaturum graviter.

1308

Q. 212. Quid addendum sit circa inversionem ordinis. R. Seqq.

§. I. Satisfit quoad substantiam, licèt invertatur ordo, hinc orare, v. g. Vesperas ante Primam sine causa, est veniale tantùm, *Castrop.* T. 7. d. 2. p. 4. n. 4. *Pelliz.* T. 1. Tr. 5. c. 8. n. 83. Idem est, si oratur Prima aut etiam Tertia vel Vesperæ ante Matutinum, *Castrop. Bass. Tamb.* in Dec. l. 2. c. 5. §. 3. n. 12.; aut si unus psalmus ante alium, iidem cum *Gob.* in Exp. T. 5. à n. 664.

1309

§. II. Causa sufficiens invertendi ordinem est, si quis ab amico invitetur ad recitandam Primam vel Horas minores, cùm ipse necdum recitarit Matutinum, *Suar. Bonac. Castrop. Bass. Pelliz.* n. 108. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 411.; quod saltem verum est, si hoc nega-



ne non possit absque aliqua nota saltem inurbanitatis. Similiter si quis manè non habeat Breviarium ad manum nec commodè possit expectare, potest ex Diurnali, quod habet, recitare Horas diurnas, postea recitaturus Matutinum, *Tamb. & Stoꝝ* suprà: Item si non habeat lectiones ad manum, potest recitare psalmos Matutini & Laudum, imò & reliqua, dilatis Lectionibus, *Castrop. n. 5. Gob. n. 664.* Similiter si sero veniat ad chorum horâ jam inceptâ, potest pergere cum aliis canere, & postea, quæ omissa sunt supplere, *Sanch. Laym. Gob. suprà:* Idem est, si veniat unâ Horâ absolutâ, cantare potest cum choro posteriorem, & postea supplere priorem, *Bass.*

§. III. Si ordo ejusdem Horæ sine causâ invertatur, v g. in Matutino priùs recitentur lectiones quàm psalmi, est veniale tantùm, uti habet communis cum *Castrop.* suprà, quia unitas, quàm Horæ habent, præcipuè est per aggregationem, quæ manet, licèt fiat ejusmodi inversio.

§. IV. Si oblitus es recitare aliquam Horam vel partem Horæ notabilem, potes eam solam postea supplere, etiam sero vespere, si tunc priùs recorderis, nec opus est aliquid aliud repetere, *Palud. Fill. Ang. Bass. Nav. in man. c. 25. n. 99. Vasq. de benef. c. 4. n. 67. Sanch. in Conf. l. 7. c. 2. d. 18. Bonac. d. 1. q. 3. p. 4. n. 7. Abell. de Horis q. 2. Gob. suprà.* Quòd si pars notabilis ex culpa sit omissa, *Arm. &* alii, dicunt debere repeti totum, *Vasq. n. 68.* dicit satis esse, si suppleatur omissum; expedit autem statim supplere, ut maneat continua oratio. Denique si in media Hora advertas te omisisse aliqua, potes pergere usque ad finem, postea suppleturus defectum, *Bonac. n. 8. Pelliz. T. 5. n. 108.*

Q. 213. Quid addendum sit circa tempus recitandi. R. Seqq.

1310

1311

1312

§. I.